

www.e-rara.ch

D. Thaumaturga Einsidlensis

Betschart, Paul

[Einsiedeln], anno ... 1665

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24550>

Caput XVI.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



CAPUT XVI.

MORIBUNDI IN VI-
TA MIRABILITER SER-
vantur; quin jam planè mortui,
ubi Deiparæ nostræ devoti fuerunt,
mirabilius in vitam rede-
unt.

ET si ex ijs, quæ commemorata hæc-
tenus sunt, præpotentis Dei, eiusque
Matris Numen, & præsentia in He-
remo manifestè prorsus eluceant, tan-
tò tamen ex præsentis capite manife-
stiora fient, quantò pluris est non mo-
ribundos modò ex imminente jam jam
interitu ereptos, sed ipsos quoque Vi-
tæ functos ad vitam subito rediisse,
cùm Divina solius, quæ Divi Ambro-
sij sententia est, potestatis sit, mor-
tuos suscitare. Unde quanti apud
Deum

Deum meriti Deipara sit, quantique
momenti eiusdem opem implorasse.
Vel talibus saltem eventis adeo lucu-
lenti agnoscant ij, qui elevare alias,
atque explodere miracula veluti Ga-
na, & fictitia assolent. Sunt enim
explorata adeo talia multa, publi-
cisque, ac testatis consignata monu-
menti, ut ea Divina in Heremo sin-
gulari modo presentia argumenta ma-
nifesta nunc quoque sint, qua Divi-
nitatis sue esse olim solvit Christus:
quando hinc etiam non solum videre
cacos, surdos audire, loqui mutos,
sed ipsos quoque mortuos reviviscere
contingat.

I.

ANno 1586. Gaspar Eisengrein ab Herrenfelburg Serenissimo Bavarix Duci quondam à consiliis in gravissimo morbo desperatis jam Medicorum consiliis, atque remediis, remedium ab Deipara Einsidlensi accepit. Cùm florenti ætate adolescens adhuc esset, Pisas mobile imprimis Tusciæ oppidum liberalium artium, & Hetruscæ potissimum linguæ studio petiit, annumque vix unum ibi commoratus, gravi adeo, & periculoso morbo oppressus est, ut salutis incertus certo vitæ discrimine periclitaretur. Ad supremam itaque luctam se parans Divino refici viatico, & simul sacro quomorbundi ritu Catholico solent, inungi oleo voluit. Quo ille infirmorum levamento licet allevatus nonnihil melius habere cœpisset, ex maligna tamen, quæ ad mali augmentum supervenerat, feбри, & trigesimum jam diem acerbè adfluxerat, eâ erat virium debilitate, ut omni etiam membrorum usu desitueretur. Igitur Germaniam Patriam suam repetiturus, Pisis Florentiam, Bononiâ deinde & Ferrariâ Paduam, indeque Persem, qui vicus sex ferè passuum mil-

millibus Tridento distat lecticâ vectus
 ægrè devenit. Tum verò ibi ex viâ la-
 bore, & itineris asperitate morbo vehe-
 menter exasperato, jam agere animam,
 quam ægrè pridem traxerat, agere vide-
 batur, quatenus interceptâ loquelâ, & præ-
 mortuâ linguâ expiranti per omnia simi-
 lis sensûs, motusq; expers diu perstitit, fri-
 gido per totum corpus sudore perfusus.
 Sed eum in ultimâ, ut videbatur, vitæ pe-
 riodo constitutum nequaquam deseruit
 Deipara, quando, ubi primùm tentari se
 morbo sensit, salutem ei suam impensè
 commendaverat, superaddito precibus
 voto, tria celeberrima Dei præsentia, cul-
 tuque Deiparæ, & miraculis loca maximè
 illustria Lauretum in Italia, in Helvetia
 Heremum, Oetingam in Bavaria pere-
 grinatione ad eorum singula susceptâ, si
 vita suppetat, invisurum tantùmque cæ-
 ræ, quanti ipse ponderis esset, oblaturum.
 Pondus habuit votum: ipseque confe-
 ctim non tam morbo, quàm morti sub-
 tractus, confirmatâ protinus valetudine,
 servatæ vitæ admiratores habuit, qui ve-
 luti moribundo adstitère. E quibus fuit
 Alexander Evelius per id tempus Mona-
 chii ad Divam Virginem Sacellanus, &
 peregrinationis ad Heremum socius, &

Miraculi testis: nam persoluto Lauretano, & Oetingensi voto ad Heremum quoque peregrinatus Benefactrici ubique Virgini grates egit, beneficium deprecavit, cæram obtulit, cuius lumine Sacellum simul, & miraculum illustraretur.

II.

Nec ignobile, quamvis ignobili collatum eodem anno ab Deipara beneficium. Ioannes Stössel è Felisisberga nostræ Parœciæ pago homo rusticanus, rastro cum hasta commutans, ductas eo tempore in Galliam copias, ex more gentis Helvetiæ, & foedere cum Galliæ regibus jam olim inito, signaque pedes stipendia merens secutus erat. Imminebat homini, ut primùm eò pervenit haud paulò plus ex morbo, quàm ex bello discriminis. Mox enim graviter adeo decubuit, ut cùm morte potius, quàm cum hoste luctaturus Gallias adiisse videretur. Cæterùm ad mortem appropinquanti Sacra Deiparæ in Heremo effigies diu noctuque observari, viderique sibi ipse Sacellum coràm videre, ibi præsentem se esse, atque rei interesse Divinæ. Hac ipse crebrò menti objecta specie, & commilitonum simul hortatu animatus votum

Virg.

Virgini facit, per confessionem expiatis ibi sceleribus, & Sacrà Eucharistiã sumptã, Missæ Sacrificium quoque fieri curaturum. Ita recuperandæ valetudinis magnam in spem venit. Quæ cum minimè fefellit. Extemplò enim habere meliùs cœpit, triduoque pòst valetudini planè redditus, haud multò pòst votum etiam, quod Deiparæ voverat, reddidit.

III.

ERat Beatus Vig Feldkirchæ oppidi, quod campum S. Petri appellant, civis. Huius filiam lethifera, & ignota Medicis lues invaserat, quæ diu miserabiliter affectam ipso etiam loquendi, atque postremò omni penè videndi usu privatam, captamque quintum mensem lecto detinuit, & ad extrema deduxit. Lentâ tabe confecta, & exhausta viribus exanimi quam viventi similior erat, nisi quòd tenuis in præmortuo pectore spiritus palpitabat. Vivam mortis imaginem, vel viventis solummodò simulachrum dixisses. Igitur miseræ compasfi filiolæ parentes ubi alia omnia nihil profuere remedia, ad Divina confugiunt, votumque nuncupantes Divæ nostræ veluti certæ infirmorum salutis salutem

litem filia suæ commendant, summisque orant precibus afflictæ puellæ sanitatem. Et quod sperantes oraverant, lætantes impetraverunt. Precibus enim non remissis, remissus illicò morbus, fugatus dolor, ægritudo omnis abiit, integrèque filia, convalentibus etiam ex mœrore parentibus, convaluit.

IV.

PAUCIS pòst annis illustris Baro à Liechtenberg voti reus Bavariâ Heremum quoque præfens invisit, votivamque tabulam Deiparæ obtulit donum simul, & accepti beneficii monumentum. Simulachrum Virginis est, cui ipse supplex genibus provolvitur ex argento cæ lato non contemnendi ponderis. Domini, votique causa tabellæ inscripta huiusmodi est. Ioannes Baptista Muidobon Cavalchino Baro in Liechtenberg, Carbonatæ, Sarzani, Reichenspeyrn, & Saxenham Dominus Serenissimi Bavariæ Ducis Consiliarius, & Cameraarius, ac Serenissimæ conjugis eiusdem Aulæ Magister Supremus gravi corporis molestiâ vexatus Deiparæ Oetingensi votum nuncupat calice argenteo oblato exsolvit, liberatur. Pòst periculosâ
de-

deglutiendi difficultate, quæ omne alimentum integris decem diebus prohiberet impeditus, rursus voto se obstringens visitandi templum B. Virginis in Einsidlen, statim conglobatâ quasi pinguedine è gutture ejectâ difficultas illa sublata est.

Hanc igitur imaginem, & grati animi, & sui in Cæli Reginam observantiæ monumentum coram venerabundus offerebat Anno millesimo, quingentesimo, nonagesimo secundo.

Quam inscriptionem ideo hic descripsi, ut & testatæ rei veritas, & benignitas Virginis juxtâ & donantis liberalitas magis eluceret.

V.

Quidam Rufaci Alsatix oppidi civis, cuius non proditur nomen, uxorem habebat diuturnâ, & gravissimâ valitudine laborantem, quæ atrocissimis divexata doloribus, eò jam vi morbi, & cruciatuum acerbitate devenerat, ut de eius salute ab omnibus conclamaretur: quotquot non tam ad agram invisuri, quàm moribundæ adfuturi convenerant. Igitur circumfusis lecto reliquis, & egressuram jam jam è corpore animam Deo ardentissimis pro se quoque

que precibus commendare contendenti-
bus, beatamque magis fœminæ impe-
trare mortem, quàm longiorem nequic-
quam sperare vitam sollicitis: maritus
interea amore conjugis anxius, voto
Deiparæ nostræ facto, minimè de sa-
lute uxoris diffidere, sed licet penè ex-
pirasset illa, adhuc tamen sperare ille.
Ergo provolutus humi ingenti fiducia,
vitam ut conjugi interventu suo Deipara
proroget, rogat, precibusque, & peregri-
nationis ad Heremum voto donum su-
peraddens, argenteam Virgini coronam
oblaturum se spondet. Hæc rogantem
nec Virgo spe, nec ille deinde Virgi-
nem, quod promiserat, dono frustratus
est. Confestim namque uxor attonitis
cunctis animam, quam mox exhalatura
credebatur, viresq; resumere cœpit, & viva
non solùm, sed sospes etiam atq; incolumis
non multò post stupente toto oppido
comparuit, viæque postea comes, & pe-
regrinationis socia ad Heremum cum
marito venit, & eo ipso adhuc anno
promissam coronam, Virgini coronæ
anni benignitatis eius benedicens ob-
tulit, eaque Deiparam veluti mortis,
quam ipsius interventu evaserat, Victri-
cem coronavit.

VI.

Militabat in Belgio Ioannes Ball à Weittelheim Germanus natione, vir nobilis, & bello strenuus sub signis & auspiciis Serenissimi Alberti Archiducis Austriae: qui eum ob spectatam virtutem primùm cohorti peditum, deinde praesidio munitissimi propugnaculi Hochenstrassen praefecerat. Cùm ibi mensem ferè agitasset, gravis eum adeo valetudo invasit, ut spes vitæ nulla reliqua esset. Et quia per vicinos hostes, & belli pericula Sacramentorum usu, supremo, & maximo morientium solatio carebat, Deo benignissimo interea sese, & piissimæ eius Matri voto adeundi Heremum facto, quàm poterat enixissimè commendare pergebat. Non negatum beneficium, sed differendo clarius redditum. Ille enim in nemini dubiam mortem oculos clausit, & absque sensu, motuque pallidus, & exanimis totas tres horas ab plurimis coràm visebatur. Vivere eum aut sensu valere negasset, quicumque hunc mortuum non credidisset. Iamque parato feretro simul, & sepulchro obvolutum linteo funus efferre è lecto ad tumulum parabant, cùm obstupefactis omnibus

inoveri ex animæ antea cadaver, resumptoque spiritu erigi, redditaque cum viribus animam reviviscere, & non multò post etiam valere, cum voto Virgini nostræ antea se obstrinxisset. Mirantibus, & quid cum eo gestum esset, exquirentibus, gratulabundus ipse professus est, vitam sibi, dum fatali lecto decumberet, Deiparam, quæ suavissimi liquoris guttam linguæ superfusam instillaret, manuque dexterâ levaret, sustentaretque labantem. Neque cunctatus fuit, quin militiæ prius exsolutus Sacramento, eodem adhuc anno, se voto etiam, quo se Virgini obstrinxerat, exsolveret, vitamque suam secundum Deum, Dei Genitrici referret acceptam.

VII.

NEc minùs memorabile est, quod Vberlingæ Acronii littoris oppido anno 1613. contigit. Erat Ambrosio Beürero filia ferè trimestris, cui Vrsulæ nomen: Eam mater nocte quadam marito interea primâ noctis vigiliâ excubias agente (excubitor enim urbis erat) quieti se tradens, in cunas ponè se condidit. Sed cum vagire infans, & illachrymari non desineret, quò demul-

ceret, & blandiretur lachrymanti, è cunis sublatam puellam, suo ipsam lecto juxtà se posuit, mox somno sopita. Expergefàcta aliquantò pòst, cùm infantem in tenebris diu perquisitum non invenisset, illicò è strato exiliens, ubi accenso cereo sollicitè, anxieque collustravit omnia, tandem sub lecti suppedaneo extinctam pavida reperit, rigentibus jam pallidi, & emortui corpusculi articulis. Itaque misera in lamenta, quæstusque miserabiliter effusa exanimem filiolam brachiis complexa, conversis in eam sæpe oculis, sæpe aversis cùm diu in mortuâ frustra vitam explorasset, atque vitale nihil advertisset veluti postremò intuita, lachrymans, & ejulabunda in cubili dimittit. Foras egressa mœstissima mulier, cùm mariti quoque è nocturna vigilia mox reversuri iram, & ne quid graviùs in se ad primùm extinctæ prolis conspectum furore præceps statueret verita, geminato animi tormento, & dolore filia, & timore mariti vehementer angeretur de vi sibi inferendâ cogitare cepit, ut interitu corporis animi mœrore sese exsolveret. Hæc dum propè desperabunda agitat, oblatam repentè
Dei-

Deiparæ Matris speciem niveo amictu conspicuæ, & eo per omnia quemadmodum in Heremo visitur, vestium cultu, & oris, & corporis habitu videre sibi visa est, blandè consolantis, adhortantisque: resumeret animum, & suscepti consilii cogitationes procul abjiceret, quando paulò post ad vitam denudò reditura filia esset. His animata verbis, & in spem erecta ad exanimem puellam rediit promissi fidem præstolatura. Maritus interea revertens è vigilia, ubi ex attonita, & perfusa lachrymis conjugem uti evenerat, intellexit, collecto protinus ex mœrore animo, & spe confirmato, fidei ac sponsionis à Deipara conjugis factæ, humi ambo procidunt genibus ante Salvatoris Crucifixi imaginem provoluti proli emortuæ, quæ coram, & in conspectu erat, vitam cælitùs promissam geminatis uno animo votis ferventissimè comprecantur, polliciti peregrinatione ad Heremum susceptâ beneficii tanti memores fore: & filiam si reciperent redivivam, vivam veluti hostiam laudis, & gratiarum actionis Deo, Deiparæque oblaturos. Mira dictu res! Vix dum preces finierant, cum subitò puella, quæ sen-

sûs omnis, motûsque expers, tres & eò
 amplius horas in conspectu moestissimi
 utriusque parentis jacuit exanimis mo-
 vere labiola, articulos attrahere, agita-
 re corpusculum, planèque reviviscere,
 exilientibus, atque exultantibus animo
 parentibus: quique, quod videbant,
 videre se vix crederent. Et memores
 illi deinde voti fuerunt, uti Deipara
 memor promissi: atque ad Heremum
 peregrinati unà cum aliis fide dignissi-
 mis rei gestæ testimoniis, filiam quo-
 que suam sanam ac sospitem vivum ve-
 luti monumentum adduxere.

V I I I.

ERat Guilielmus Plattner in Tyrolensi
 Comitatu ad superiorena Athesin De-
 canus, uti vocant, ruralis, & Gulsæ ur-
 bis Curio. Adversâ is, & gravissimâ
 valetudine sex menses conflictatus, &
 extremè adfectus, ubi totum postremò
 corpus vastè intumuit, suprema instare
 hora credebatur. Nam Medici variis
 nequidquam usû pharmacis, desperata
 salute, præsentem interitum denuntia-
 vere, nec nisi Divina ope, & non abs-
 que miraculo servari hominem posse.
 At ille in plurimum coronâ Sacerdotum,
 qui

qui non tam ad ægrum, quàm ad moribundum accurrerant veluti in supremis confirmaturi: quamvis hæsitante, & præmortuâ linguâ, vivâ tamen fide, & minimè hæsitante fiduciâ Deiparam nostram compellat, factoque eius visendæ voto, vitam, & salutem enixissimè orat. Quæ preces nequaquam irritæ fuere. Eo enim puncto temporis adeo allevari ille, & retrò statim agi infirmitas cœpit: ut non multò pòst sanum, & planè incolumem admirabundi eum viderent; qui morientem visuri advenerant: totque essent miraculi testes, quot præsentés veluti jam agenti animam adfuere.

IX.

HAud multò pòst deploratam quoque sanitatem filix impetravit quidam Ioannes Genslerus incola Divitis Augustiæ. Insula ea est Acronium inter, & Venetum lacum, in qua antiquissimum familiæ nostræ Benedictinæ Cœnobium, quod à S. Pirminio, & Caroli Martelli, Alemanniæque Principum liberalitate conditum, ad eas deinde opes, & amplitudinem excrevit, ut toti Insulæ Divitis Augustæ, cùm à Sindeslao primo incolâ antea appellaretur, indiderit nomen,

men. In eo Cœnobio S. Menradus à primis pueritiæ annis primo pietatis tyrocinio præclarè posito Regulam S. P. N. Professus, in eam postea virtutis maturitatem adolevit, ut ad deducendam inde veluti Coloniam ad Heremum divinitus mitteretur. Vbi viginti sex annis per summam sanctitatem, & abstinentiam, cælestisque vitæ disciplinam exactis, veluti sedem Dominæ nostræ præparans in deserto, ad certum miserorum perfugium adeo Heremum excoluit, plantavit, & suo denique sanguine rigavit, ut secundum Deum, qui magna postea loco incrementa dedit, tantum Heremus Augiæ debeat, quantum ipsa hodie efflorescit. Hæc per occasionem loci, in quo factum, jam id quod evenit, enarremus. Ea itaque in Insula is, quem diximus, filiam habebat Annam nomine, quæ posteaquam tertium decimum attigit ætatis annum, miserabili & tetro correpta morbo in extremo discrimine versabatur. Nam vi dolorum convulsis, & contortis cum ingenti spectantium horrore, & commiseratione membris sævissimè discruciatâ, tantis in tantilla ætate tormentis impar, jamque succubitura, & atrocissimis

mis cruciatibus victa in non dubiam ab-
ripi mortem videbatur. Cæterum pa-
rentes filiaë desiderio ardentes, opem
frustrà aliunde speratam ab Deipara no-
stra sperare cœperunt. Eique supplices
promisso cereo dono votum nuncupant.
Cuius confestim damnati filiam omni-
um opinione jam nunc morituram sa-
nam repentè ac sospitem aspiciunt: eo-
demque anno ad Heremum veniunt u-
nà cum filia peregrinationis causâ si-
mul & comite tantò luculentiùs depræ-
dicantes beneficium, quantò certius Dei-
param Mediaticem in filia è media mor-
te ereptâ erant experti,

X.

PHilippo Ruperto Sixt Horbæ ad Nec-
carum prætori filia erat ferè triennis.
Eam periculosus, & gravis morbus op-
presserat: atque ita adfecerat, ut quan-
do varia incassum remedia adhibita e-
rant, spes vitæ nulla superesset. Et cò
graviùs filiaë morbum, imminentem-
que mortem parens tulit, quò recentii-
ùs ex conjugis, alteriusque juxta filiaë
immature obitu vulnus non multò an-
te acceperat. Iamque in horas ingra-
vescente ægritudine, vires puellam, a-

nimaque defecerant, ut extinctam omnes adfirmarent. Itaque obvolvere linteo, & apparare funus cæteris cogitantibus, unicæ filiolæ amore accensus pater Divam nostram Einsidensem precibus ferventissimis fatigare, obtestari, & impensissimè vitam, salutemque rogare: neque frustrà fecerat. Nam obstupescens, qui dudum de puellæ vitæ conclamaverant: illa subitò clausos in mortem ocellos attollit, hilarique vultu cibum postulans ad circumstantes è lectulo se simul attollens circumfert. Neque solùm revixit subitò, sed paulò post etiam plenè convaluit, deprecantibus ubique rediyivæ puellæ miraculum, qui mortuæ jam sepulchrum paraverant.

XI.

Idem huius eiusdem sæculi anno trigesimo nono Immenstadii in Algoia in Christophori Zwickij pistoris filio bienni contigit. Eum fortuito, & infelici casu exanimatum brachiis amplexa mater, & lachrymabunda mediam horam sensus vitæque expertem contrectans: ubi in vicinorum ad triste spectaculum accurrentium frequentia palàm si puerrevivisceret ad Heremum se invisuram
spons

Spondens Deiparæ veluti vitæ Genitrici
emortuum devovit, vivum confestim
applaudentibus vicinis recipere meruit.

XII.

Sub idem tempus Petrus in Feld Sil-
vanæ supra Silvam civis servo uno co-
mite rus egressus haud procul Lunge-
rensi pago cædendis in nemore lignis
manum admovens cum arborum exci-
dio, vitæ propè exitium incurrit. Nam
ubi securim ad nutantis arboris radicem
apposuit, vastâ ligni mole præter opi-
nionem subito ruente oppressus veluti
exanimis diu stratus jacuit. Inops con-
silio qui aderat servus, uti in re trepidâ
& inopinâtâ, votum Divæ nostræ Ein-
sidlensi pro hero nuncupat. Et exem-
plò is vires, animumque recepit, neque
prius votum, precesque finiit famulus,
quàm dominus incepit vivere denuò, &
valere.

XIII.

Cum anno quadragesimo quarto hu-
ius sæculi Philippus Helmius è Pala-
tinatu oriundus apud Ticinum stipen-
dia mereret: uxor ad bellum secuta
maritum, post acerbos partûs dolores
puellam tandem enixa est, sed eam ex-
ani-

animem non modò, sed monstro etiã
quã homini similiorem. Per horam
in conspectu, quæ parturienti aderant,
fæminarum, jacuit foetus planè exani-
matus commiserantibus omnibus pro-
lem, & vitã orbam, & foedã simul, te-
trãque specie deformem. Itaque è con-
spectu tollere, & terrã abortum condere
parantibus cæteris, fæminarum una sua-
det parentibus, uti de ejuranda prius
Lutheranã hæresi, quã tum ambo im-
buti conjuges erant, & amplectandã fi-
de Catholicã, Virgini deinde Matri,
quæ in Heremo Helvetica colitur, pro
exanimi prole votum facerent, neque
enim ambigere sese si ad veram ipsi fi-
dem converterentur, quin filia ad vitam
quoque reditura foret. Parère hortan-
ti cùm parentes polliciti essent, & utrum-
que vovissent, tum verò in emortuæ pu-
ellæ corpusculo venæ micare: spirare
illa, & attonitis omnibus, vivere, neque
vitam solùm, sed novam etiã deco-
ramque speciem induere. Et ut super-
stes deinde in vita filia fuit, ita in fide, quã
abjurata hæresi semel amplexi erant, pa-
rentes perstitère, atque vel hoc solum
fuscitatae puellæ miraculum certum veræ
fidei testimonium credidere.

Sufficere hac poterant, ad manifestandam Dei, Deiparaeque gloriam, & Divinam in Heremo praesentium demonstrandam, ideoque in explicandis huius quoque generis admirandis his Sela contrahenda, nisi novâ benignitatis suae aurâ longius prodeheret Deipara. Itaque quadam pauca alia elapsis proxime annis patrata paucis expediam, ut in hoc etiam genere ad hac usque tempora Virginis nostrae fontem benignitatis exarescere nunquam agnoscas.

XIV.

IN Habfensi vico secundo ab Basilea urbe milliari, Ioannis Sulzeri filiolum ferè biennem, fortè in villa agitantem bos ita fixo calcans pede obrivit, ut intercepto spiritu puer expiravit. Nam vastâ corporis mole jumentum, puello id ætatis adeo incubuit, ut tenello pectori impressa unguularum vestigia notarentur. Accurrens pavida mater exanimem filiolum domum detulit. Nec nisi funus domo etiam elatura fuerat, nisi Deipara nostra suo interventu vitam filio, & matri lætitiâ impetrasset. Vix enim illa vivere Virgini desierat, ad Heremum inyisuram se, & unâ addu-

Turana

eturam filiolum secum spondens, cum puer manifesta vitæ signa ostendere, plarèque vivere cœpit. Quem mater aliquot pòst annis in Heremo Deiparæ viyum veluti monumentum stitit.

XV.

SEquenti pòst anno miserabilis æquè casus, æquè miserabilem Deiparam ostendit. Kenzingæ in Brisgoia Ioanni Bader filiulus erat ferè semestris. Accidit, ut eum mater, dum mense Iulio per æstivum solem foris in platea quid operis facit, ne extra conspectum puerulus esset, ponè in cunabulis reponeret. Ibi tum verò inopinato casu ruens è sublimi tecti fastigium, spectante, & miserabiliter vociferante matre, puellum oppressit. Diffraçtis cunis trabs ingens tenero id ætatis infanti impacta superincubuit, ac veluti muscipulâ clausum, collisumque tenuit. Tum verò parentes contritum atque exanimem, ut verè fuit, ab omnibus creditum cum pio voto, & magnâ fiduciâ Deiparæ nostræ commendassent, atque elisum mortuumque ad proximum templum deportassent, subitò, quod mirum fuit, & revixit, & paulò pòst conyaluit, vicinis

nis omnibus admirantibus, parentibusque ex ingenti mœrore ad ingeminandas Deo, Deiparæque laudes versis.

XVI

ANNO quadragesimo nono proximo præterito, Altorfii haud procul Rhœnoviâ quædam Anna Martin uxor Ioannis Fuchsi prolem fœmellam exanimem enixa fuit. Nullum in ea vitæ indicium. Buxo pallida magis pro abortu habita, & totam ferè horam immota, & vitæ expers. Anxia mater sine sensu, & vitâ videre partum, quem non sine doloris sensu, & vitæ periculo pepererat Virgini supplicare institit. Addiditque precibus votum, & ad Heremum se primo quoque tempore peregrinationem suscepturam, & diebus deinceps singulis septenâ Angelicâ salutatione Virginem, eiusque beneficii memoriam celebraturam, quoad ipsa, si revivisceret, proles per ætatem persolvendæ orationis capax esset. Ita votens oraverat, cùm subito tenellos articulos movere infans cœpit, & vivere deinceps, ac valere, ut post mensem coram in Heremo præcepta mater sospitem filiam offerret, uti de recepta vita
& in

294 *Cap. XVI. Moribundi, a: jam planè*
& incolumitate grates referens ita pro
ea conservanda Deiparam precata.

XVII.

Eodem anno evenit, ut Danielem Raneker ex Oberkirch Oppennavensis agrî mense Aprili fortè rus euntem parvus filius comes subsequeretur. Cùm per vallem graderentur: ingens ligni truncus seu fortuito; seu per lignatorum incuriam per declivia montis devolutus, atque magnâ vi in puerum illatus eundem humi prostravit. Tempora collisa, & caput ad cranium usque diruptum, & vulsi evulsus alter oculus erat: corpustum quasi unâ plagâ attritum, ac lividum. Diu nec motum aut spiritum in eo advertens consternatus parens, cum exanimem deferret domum nullâ vitæ affulgente spe reliquâ Virgini Einsidlensi devotum commendare sollicitè institit. Quæ parentis preces filio saluti extemplò fuere. Is enim contra quàm quisquam, qui attritum puerum inspexere, crediderat, revixit, atque cùm plaga omnis brevi consanuisset, revaluit, simulque documento fuit virtute Divina spem, & opinionem hominum longè exsuperari.

Simi-

XVIII.

Simile fere id, quod anno deinde 50. accidit, nisi quòd hìc pater præsente filio, uti ibi filius spectante, & nuncupante votum patre, vitam vel servavit, vel recepit. Ioannes Fridolinus Frick & filius eius in silva pariter lignabantur. Consistens pater in valle in struem componebat, quas filius devolvebat de montibus ornos. Fortè dejectus ab filio stipes præacutus, saxoque illisus, atque inde excussus ea vi in parentis caput illapsus, mediam adeo frontem ictam percussit, vulneravitque, ut supinus humi subitò veluti exanimis corrueret. Miserando patris casu consternatus filius trepidum animum fiducia in Deiparam nostram erigens voto eidem facto salutem senis commendat. Qui mox reclusis oculis humo sese attollens filii precibus, & ope Deiparæ spiritum viresque resumpsit, & non ita multò post coeunte, atque sanata plagâ absque omni alio humano auxilio convaluit medicinâ cælesti quibusvis aliis multò præsentiore.

XIX.

Superiore denique anno 51. vir nobilis Ignatius Balthasar Rinck à Baldenstein Reverendissimi, & illustrissimi Principis San-

Sangallensis Præfectus in Wardegg gravi
 adeo morbo afflictabatur, ut de vita ex-
 tremè periclitans haud longè ab fine ab-
 esse, sed morti proximus videretur. An-
 gebat haud parùm imminens dilecti ma-
 riti obitus Annam Mariam conjugem
 nobilem & piam fæminam, eoque gravi-
 ùs, quòd ipsa utero gravis priùs videret
 maritum ex hac luce subtrahi, quàm ipsa
 prolem in lucem edidisset, & per mortem
 conjugis infans patre antè orbaretur,
 quàm natus esset. Itaque voto, ac sum-
 mis precibus ab Virgine nostra opem im-
 plorat, salutemque marito impensissimè
 rogat. Vixque fecerat cùm lethali peri-
 culo exemptus conjux, & ex præsentì
 morte juxtà & morbo liberatus non mul-
 tis pòst diebus convaluit. Vivitque ad-
 huc hodie, & valet, vitamque, & valetu-
 dinem Deo, & Patrocinio Deiparæ in
 acceptis referens grato animo be-
 neficii memoriam con-
 servat.

